



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

30. Eppollonivs iteratis votis ad reddenda iniustè parta in quadruplum se obligat, qui tamen non potest ex iustitia sæpius pro illis satisfacere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Ad tertium Diverſitatem pœnarum non pro-
uenire ex diuerſitate culpæ moralis, ſed ciui-
lis & politicæ. *Ad quartum* Diſparitatem eſſe,
quod in lege mixta aliquid pœnis abſolutè
prohibeatur, vel præcipiatur, & deinde pri-
mùm pœna ſtatuatur in tranſgreſſores, quod
non fit in lege purè pœnali; vnde ex illa non
poſſumus colligere talem voluntatem obli-
gandi ad ſolam pœnam, ſicuti ex iſta, etſi nõ
deſint, qui culpam non agnoſcant etiam in
lege mixta, vt videre eſt apud Dian. P. I. Tr.
10. *Reſol.* 20. Non obſtat, quod Dunaan de-
fraudans veſtigalia peccet, exponendo ſe pe-
riculo tam grauis pœnæ ſubeundæ, v. g. mor-
tis, mutilationis &c. Nam obligatio cauendi
hoc malum non prouenit ex vi legis poſi-
tiuæ, ſed naturalis, quâ tenemur vitare peri-
cula mortis, vt bene Palao lo. cit. quamuis nec
ſemper peccatum ſit exponere ſe periculo ta-
li, vt communiter notant Authores.

XXX. Eppollonius Mercator iteratis ſæpius
votis obſtrinxit ſe ad omnia iniuſtè parta in qua-
druplum reſtituenda. *Quæritur.* Num reuera in
hoc caſu poſſit ſæpius ſatisfacere ex iuſtitia?

Videtur poſſe. Ita Card. de Lugo D. 1. de Iuſt.
ſect. 2. n. 27. Tum quia omnis virtus poteſt
elicere aliquos actus promotiuos perfectionis
ſolùm ex conſilio ſeu ſupererogationis, vt
vult P. Sparza de Iuſtit. Q. 1. Tum quia pro eo-
dem peccato poteſt quis ſæpius ſatisfacere, &
plura

Q

plura audiendo sacra idem Ecclesie præceptū implere &c. Confirmatur exemplo Zachari, qui Luc. 19. ait ad Dominum, reddere se quadruplum, si quid aliquem defraudauit.

Resp. Eppollonium non posse sæpius satisfacere eidem Iustitiæ debito. Ita Card. Palaucinus de Iust. c. 4. n. 33. Dicastillo de Pæn. D. 1. n. 135. & communiter alij TT. Ratio est. Tum quia Iustitia vnicè æqualitatem intendit tribuens vnicuique jus suum. Vnde sic licet argumentari. Illa actio nõ potest fieri ex motiuo iustitiæ, quæ æqualitatem, quam inducere ex se intendit, iam inuenit inductam. Atqui talis est actio secunda, tertia, & reliquæ post primam, quæ illam iam induxit, hoc ipso quod vi suâ inæqualitatem sustulerit. Ergo &c. Tum quia quod iam extinctum manens extinctum non est capax vltioris extinctionis: & debitum solutione aut dimissione sublatum tolli amplius nõ potest. Tum quia sic etiam vota sæpius renouata plures inducerent obligationes contra S. P. N. Ignatium P. 5. Const. c. 4. Ait fortè Card. Lugo ad priora duo argumenta, sufficere, inæqualitatem & debitum præterisse. Sed hoc ipso, quòd præterit, iam non est. quomodo ergo tolli iterum potest? Ad tertium verò, factâ sui traditione non esse in potestate vouentis denuo se tradere. Verùm cum vouens post omnimodam sui traditionē possit adhuc alia
vota

vota facere, maximè quæ religioni non præiudicant, cur non priora reiterare, vt nouam inducant obligationem, cum istud sacro ordini nihil officiat? Item quomodo potest aliquis extinctum & solutum debitum iterum iterumque extinguere & soluere, & non etiam factam sui traditionem denuo facere, quoties lubet?

Ad primum in contrarium dicimus, non perinde quamlibet virtutè, ac Iustitiã vnico actu suo totum attingere & extinguere obiectum, vt apertè de gratitudine docet S. Thomas 2. 2. q. 106 art. 6. quod si alicui certò constet, se iam suo actu satisfecisse præcepto Ecclesiæ, culpam & pœnam deleuisse, non poterit is amplius velle satisfacere, sed alterius rationis actum eliciet, vt rectè Dicastillo n. 140. Atque sic patet etiam ad secundum. Ad confirmationem dicimus, Zachæum vel egisse id ex præscripto legis Exod. 22. vt multi volunt Patres: vel ex abundante charitate, vt sentit Maldonatus in cit. Lucae locum. Quod si hoc etiam solùm vel simile quid intenderit Epipollonius, & ad id vnice iuramento se obstrinxerit, utique tunc (licet alio iam actu, quàm iustitiæ) ad reddenda in quadruplum iniuste parta vi iuramenti obligabitur.

XXXI. *Erastus Mercator Catholicus negotiorum causã in Sueciã discessit, ubi in grauem incidens morbum, vitæque suæ dissidens sacerdotem petijt, qui eum & à peccatis &*

Q₂

ab